



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 7. Consiliariorum consilia consulentibus noxia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

randa futurorum cognitionem viro ei contestantur. Primò namque, Constante adhuc vivente, Constantio insidias ei struente, quum fuga sibi consulisset, apud notum quemdam hominem in subterraneo, & caliginoso specu, aqua olim cisterna, latuit, nemine præter ancillam conscio, quæ quòd fidelis esse videretur, ad usus necessarios ei inserviebat. Postquam autem in hoc magno studio adversarij incubuere, ut virum vinum caperent, & ancilla ea pecunia ab illis corrupta mercede eum proditura erat, præveniens DEVS insidias ei indicavit. Ita ipse aliò concessit, at illa ut quæ contra heros suos falsa dixisset, plagas reportavit. Gravis siquidem eis constituta fuerat pœna, qui Athanasium celare comperti fuissent, ut qui contra Imperatoria iussa niterentur, & rectam reipublicæ administrationem tollerent. Consilium itaque ancillæ de Athanasio capiendo datum, quia diuinitus in irritum cecidit, in ipsam ancillam retrocessit, quæ pro mercede proditiōnis, ad satietatem, vapulavit. Eiuscemodi consilia alij multi dant, qui captantes capiuntur.

§. VII.

*Consiliariorum consilia consulentibus noxia,
Quemadmodum autem malum consiliū*

I

fre-

Æl. Lam-
prid. in
Alexan-
dro, &
Fulgol.
l. 7. cap. 2.

Xiphilini
in Nero-
ne.

frequenter in ipsius consulentis caput relit, ita, tametsi non noceat auctori in sua domo, tamen nocet illi, tamquam membro communitatis, in quam totam solet esse detrimentosum. Hinc Homulius, teste Ælio Lampridio, cum à Traiano Imperatore audiuiisset, Domitianum pessimum fuisse Imperatorem, amicos tamen optimos habuisse, dixisse fertur: *Melius erat unum malum pati, quam multos.* Atque idcirco optare solebat potius malum principem, qui bonos haberet consiliarios ac amicos, quam bonum qui malos haberet, quibus rerum administrationem committeret. Putabat enim facilius fore, ut à multis bonis unus malus ad maiora duceretur, quam ab uno bono multum à malitia auerterentur, qui & sibi, & Republicæ nocerent consulendo. Quod videre fuit in Nerone Romanorum Imperatore, qui natura crudelis, consiliariorum suorum insuper instinctu, multa contra dignitatem fecit, cum crebro ab illis audiret: *Tu hac pateris? Tu hoc times? Ignoras, te Cæsarem esse? teque illorum potestatem habere, non illorum tui?* Quibus venenatis consilijs id effectum, ut eadem in ipsos quoque cogitaret, quippe qui & illorum se Cæsarem esse meminisset.

minisset. Ita contingit illis, qui consulentes volunt adulari; quorū tota vis est, & mens, dicere, quæ placeant; facere quæ noceant, nihil pensi habent. Atque de tali homine dicitur: *Arctabuntur gressus virtutis eius, & precipitabit eum consilium suum.* Qui ergo & sibi & Reipubl. vult benè, benè consulat; eosq; qui benè, hoc est, prudenter, fideliter, & vbi necesse est, cum secreti silentio, nec præcipitanter consulant, nec quidquam ad gratiam captandam, vel ob alios priuatos affectus fingant. Quamobrem Fridericus Cæsar, consiliarijs suis in curiam vocatis, *Vtinam inquebat, consiliarij mei in palaty vestibulo duas res deponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi etiam inter consilia dyndicare facillimum esset.* Interrogatus autem, quænam res illæ essent? *Simulatio, & Dissimulatio,* respondit.

Iob. 18. 7.

§. VIII.

Judæo imaginum sacrarum hosti consilium proprium quid pepererit?

Mendacij quoddam genus est, simulare ea, quæ non sunt; vel dissimulare, quæ sunt. Itaque qui suadet aliquid simulando, mentitur, enimuerò in caput suum mentitur, dignus mercede, quam mendaces promerentur,